



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Quæst. 3. De medio cognitionis divinæ circa ipsum Deum, possibilia, & res
omnes aliquando existentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

objecta cogitationum omnium, quas habet, vel habere potest intellectus creatus. Sed intellectus creatus fingere potest, & sapè fingit, representando sibi multa ut entia, quæ tamen nec sunt, nec esse possunt, quæque proinde non possunt aliter existere, quam objective & representativè in intellectu. Ergo Deus impossibilia & entia rationis perfectè cognoscit, nec ideo dici potest facere entia rationis. Aliud enim est representare per modum existentis, id quod nec existit, nec potest existere, ut facit intellectus creatus, qui ideo rectè dicitur facere entia rationis; & aliud cognoscere actum representantem per modum existentis, aliquid, quod nec est, nec potest esse, ut facit intellectus divinus, qui proinde non facit, sed solum cognoscit entia rationis.

Quæres 2. utrum Deus cognoscat omnia mala. *R.* affirmative. Nam 1. cognoscit omnia mala culpe: punit enim omnia, & tamen omnia punire non potest, nisi omnia cognosceret. 2. Cognoscit omnia mala pœnæ: infigit enim omnia, ut ipse testatur in pluribus Scripturæ locis. 3. Cognoscit omnia mala naturæ. Mala enim naturæ sunt monstra. Atqui omnia monstra cognoscuntur à Deo: omnia enim producantur à Deo: cum sint entia realia. Ergo, &c.

Q U Æ S T I O III.

*De medio cognitionis divina circa ipsum Deum,
possibilia, & res omnes aliquando
existentes.*

ARTICULUS I.

Utrum Deus videat se ipsum in aliquo medio.

R E S P O N S I O I.

DEus non videt se ipsum per speciem impres-
sam.

Prob. Nam si Deus videret se ipsum per speciem impressam, 1. daretur in Deo compositio realis ex intellectu divino & specie illa: quod repugnat summæ simplicitati divinæ. 2. Intellectus divinus ad intelligendum compleretur per aliquid sibi realiter superadditum: quod repugnat summæ ejus perfectioni. 3. Daretur accidens perfectè & adequatè repræsentativum divinitatis, & quod proinde esset simpliciter infinitum in repræsentando: quod repugnat creaturæ. 4. Deus dependeret dependentia propriè dicta ab ente creato: quod repugnat enti à se, & primo rerum omnium principio, &c.

Præterea, sublatâ omni specie impressa, Deus habet quidquid requiritur, ut se ipsum perfectissimè & comprehensivè intelligat. Nam 1. intellectus divinus ex se summè completus & determinatus est ad intelligendum; unde non indiget aliquo, à quo ad intelligendum compleatur & determinetur. 2. Essentia divina est summè intelligibilis, unde non indiget aliquo, per quod intelligibilis fiat. 3. Eadem essentia divina est perfectissimè præsens intellectui divino per identitatem perfectissimam; unde non indiget aliquo, per quod cum intellectu divino conjungatur. Ergo sublatâ omni specie impressa, Deus se ipsum perfectissimè & comprehensivè intelligit. Vide Resp. 6. art. 1. Quæst. 1. ubi demonstratum est Deum nihil planè intelligere dependenter à specie impressa, aut motivo quovis propriè dicto.

R E S P O N S I O II.

Deus ad perfectam & comprehensivam sui cognitionem non indiget medio, in quo ratione prius cognito se ipsum cognoscat: imò neq̃ tale medium cognitionis sui habere potest.

Prob. 1. pars. Nam 1. Deum, ad se ipsum perfectè & comprehensivè cognoscendum, indigere aliquo alio à se, manifestè repugnat rationi Entis, quo nihil melius esse vel cogitari potest, & quod proinde omnis indigentia dedecet. 2. Illud medium, quo Deus in

digeret, vel indigeret alio medio, in quo ratione prius cognito ipsum cognosceretur, vel non indigeret. Neutrum dici potest. Non primum. Alioqui admittendus est processus in infinitum in mediis cognoscendi: quod est absurdum. Non secundum. Nam si medium illud per se immediate cognosci posset, & cognosceretur, à fortiori essentia divina potest per se immediate cognosci, & per se immediate cognoscitur ab intellectu divino, cui perfectius conjuncta est, quam esset medium illud, in quo per se immediate cognito cognosceretur, & insuper nec minus intelligibilis, minùse intellectui divino proportionata dici potest.

Prob. 2. pars. Nam medium, in quo ratio prius cognito Deus se ipsum perfectè & comprehensivè cognosceret, aut esset aliquid perfectius, quàm essentia divina, aut aliquid aequè perfectum, aut aliquid minus perfectum. Nihil horum dici potest. Non primum, aut secundum. Deus enim est Ens summum. Summum autem nec superari, nec aequari potest. Non tertium. Non enim sine manifesta absurditate dici potest, quod aliquid minus perfectum, ratione prius cognitum, possit esse ratio perfectè & comprehensivè cognoscendiarum perfectius. Sic v. g. falsò & absurdè diceretur, ternarium cognitum esserationem perfectè cognoscendi senarium, animal cognitum esse rationem perfectè cognoscendi hominem, &c. Et verò objectum aliquod, ut cognitum, carenus potest esse ratio perfectè cognoscendiarum, quantum in eo cognito elucere possunt omnes perfectiones alterius. At in minus perfectò, quantumvis præcognito, perfectiones omnes alterius perfectioris elucere repugnat. Nam in eo neque formaliter, neque eminenter, neque æquivalenter continentur omnes. Superest igitur, ut dicamus Deum se ipsum in seipso, hoc est, se ipsum per se immediatè, & absque ullo medio perfectè & comprehensivè cognoscere.

Dices. Creaturæ, ut ratione priùs perfectè cognita, possunt esse ratio cognoscendi id omne, ad quod habent habitudinem transcendentalem: non enim possunt cognosci perfectè, quin cognoscantur perfectè earum habitudines; nec perfectè cognosci possunt earum habitudines, quin distinctè cognoscantur termini habitudinum illarum. Atqui creaturæ omnes habent habitudinem transcendentalem ad Deum, ut primum principium, ideam objectivam, finem ultimum rerum omnium, & continentem excellenter omnium entium perfectiones. Ergo creaturæ, ut ratione priùs perfectè cognita, possunt esse ratio cognoscendi Deum, ut primum principium, ideam objectivam, &c. Sed Deus perfectissimè comprehendit creaturas omnes. Ergo possunt esse & sunt Deo ratio cognoscendi se ipsum, ut primum principium, ideam objectivam, &c.

R. 1. Instantiam hanc non esse ad rem. Nam, quod nobis sufficit, solum hic volumus Deum nec habere, nec posse habere extra se medium, in quo, ut ratione prius quantumvis perfectè cognito, se ipsum perfectè & comprehensivè cognoscat. Quòd autem Deus non possit saltem perfectè & comprehensivè cognoscere se ipsum in creaturis, etiam ut ratione prius ab ipso perfectissimè comprehensis, patet ex eo, quòd creaturæ non habeant habitudinem transcendentalem ad omnes perfectiones divinas, sed ad aliquas tantùm. R. 2. Deum eodem indivisibiliter actu se ipsum comprehensive cognoscere, in se ipso comprehensive cognito perfectissimè cognoscere creaturas omnes, & omnes earum habitudines, & in earum habitudinibus perfectissimè cognitis se ipsum cognoscere ut primum principium, ideam objectivam, &c. ut docent Recentiores nonnulli, nec videtur esse inconveniens. Non enim inde sequitur, quòd Deus habeat cognitiones sui inadæquatas & præcisivas. Quia in Deo cognitio, qua se ipsum cognoscit in creaturis ut primum principium, ideam objectivam, &c. est eadem illa cognitio, qua omnes suas perfectiones simul cognoscit, & se ipsum perfectissimè comprehendit, ut patet ex dictis. Quid, si quis mallet dicere Deum

cognoscendo creaturas & earum habitudines in se ipso, ut objecto ratione prius cognito, solum cognoscere se à creaturis per illas habitudines, ut ratione prius cognitas, cognosci posse ut primum principium, ideam objectivam, &c. Sed quidquid sit, manet semper intacta assertio nostra, ut supra observatum est.

ARTICULUS II.

Utrum Deus in aliquo medio ratione prius cognito cognoscat possibilia.

RESPONSIO.

Deus in se ipso, ut objecto ratione prius cognito, cognoscat possibilia.

Prob. 1. ex Dionysio lib. de divinis Nominibus c. 7. Se ipsam ergo, inquit, cognoscens divina sapientia, novit omnia. Et paulò superius, dicit Deum non per speciem singula considerare, sed uno cause complexu omnia scire. 2. Ex Augustino lib. 6. de Trinit. c. 10. ubi de Verbo dicit, quod sit ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium; tum post aliquot verba hæc addit: Ibi novit omnia Deus, quæ fecit per ipsam. Et lib. 11. de Civ. c. 10. ubi de sapientia Dei loquens ait, Neque enim multe, sed una sapientia est, in qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles, atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilibus & mutabilibus, quæ per ipsam factæ sunt: quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici potest. Quibus posterioribus verbis, Quoniam, &c. aperte significat S. Doctor, Deum in rationibus illis, quas habet in mente sua, omnia, quæ potest, cognoscere, tanquam in perfectissimis rerum omnium factibilium exemplaribus, quæ intruebatur, cum mundum conderet: tunc enim, ut ait S. Doctor lib. 83. quæst. q. 46. Deus non extra se quidquam posuit intruebatur, ut secundum id constitueret, quod constituerat: nam hoc opinari sacrilegum est. 3. Ex S. Thoma hic q. 14. art. 5. in O. Deus, inquit, se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per essentiam suam. Alia autem a se videt, non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso.

Prob. Ratione. Quia essentia divina, perfectè cognita, potest esse pluribus modis ratio cognoscendi omnia possibilia. Atqui Deus perfectissimè comprehendit essentiam suam. Ergo, &c. Minor suo loco demonstrata est. Prob. maj. Nam 1. essentia divina, perfectè cognita, potest esse ratio cognoscendi, distinctè scilicet, omnia possibilia, ut est causa illorum productiva; quia ut est causa productiva rerum possibilem, habet ordinem transcendentalem ad omnes illarum perfectiones, & cum illis connexa est; quæ connexio & habitudo cognita non potest non esse ratio cognoscendi id, ad quod est connexio & habitudo. Unde illud S. Thomæ lib. 1. contra Gentes cap. 49. ratiocinium: Effectus cognitio sufficienter habetur per cognitionem sua cause. Ipse autem Deus est per suam essentiam causa essendi aliis. Cum igitur suam essentiam plenissimè cognoscat, oportet ponere quod etiam alia cognoscat.

2. Essentia divina, perfectè cognita, potest esse medium distinctè cognoscendi omnia possibilia, ut illorum omnium ratio & idea propria objectiva. Nam 1. ut dicit S. Thomas hic q. 14. art. 6. ad 3. Divina essentia est aliquid excedens omnes creaturas: unde potest accipi ut propria ratio uniuscujusque, secundum quod diversimodè est participabilis, vel imitabilis à diversis creaturis. 2. Idea seu ratio propria objectiva, perfectè cognita, non potest non esse medium perfectè cognoscendi rem, cuius est ratio & idea. Idea enim rei propria est propria illius imago, proprium illius exemplar. Rem autem distinctè cognosci in imagine propria & exemplari illius, quis dubitat? Hinc S. Thomas lib. 1. contra Gent. cap. 54. sic ar-

gumentatur: *Essentia divina in quantum est absolute perfecta, potest accipi ut propria ratio singulorum: unde per eam Deus propriam cognitionem de omnibus habere potest.* Idem S. Augustinum sentire, constat ex locis laudatis.

3. Essentia divina, perfectè cognita, potest esse ratio distinctè cognoscendi omnia possibilia, ut continens in se secundum modum quandam excellentem, omnes & singulas perfectiones omnium creaturarum. Nam inde se habet ad creaturas omnes, ut actus perfectus ad imperfectos. Actus autem perfectus est similitudo actuum imperfectorum, quos in se aliquo modo continet, & eò perfectior illorum similitudo, quò perfectius illos in se continet. Unde in actu perfectè cognito, non possunt non perfectè cognosci actus imperfecti, & eò perfectius cognosci, quò perfectius in illo continentur. Nam cognita imagine, non potest non cognosci res, cuius est imago; & cognita imagine, res, cuius est imago, eò perfectius cognoscitur, quò perfectius per imaginem representatur; & eò perfectius per imaginem representatur, quò præstantior est imago, hoc est, quò præstantiori modo continet perfectiones rei, cuius est imago.

Cum igitur essentia divina contineat modo excellentissimo omnes omnium creaturarum perfectiones, se habet ad omnes creaturas ut actus excellentissimè perfectus ad imperfectos; & sic se habet ad omnes creaturas, ut excellentissima illarum similitudo quædam & imago. Unde apparet essentiam divinam, perfectè & comprehensive cognitam, non posse non esse Deo rationem perfectissimè cognoscendi creaturas omnes saltem possibiles, & Deum in essentia sua, perfectè & comprehensive cognita, possibilia omnia perfectissimè cognoscere, tanquam in excellentissima quadam illorum imagine & similitudine. Hanc doctrinam tradit S. Thomas hic quæst. 14. art. 6. in O. & ad 1. hæc habet: *Deus per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura, & tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodque in ipso.* Quibus verbis S. Doctor contrahit, quæ à nobis fusiùs exposita sunt, & ipse fusiùs exponit in corp. art.

Obj. Deus non prius cognoscit v.g. omnipotentiam suam, quam creaturas possibiles. Ergo non cognoscit creaturas possibiles in omnipotentia sua, ut in medio prius cognito.

Ad solutionem objectionis nota. Potest aliquid prius cognosci, quam aliud, multipliciter, nempe prius tempore, prius natura, prius ratione ex parte subjecti, & prius ratione ex parte objecti. Dico autem Deum neque prius tempore, neque prius natura, neque prius ratione ex parte subjecti cognoscere essentiam suam, five ut causam rerum omnium productivam, five ut illarum ideam, aut similitudinem, quam creaturas possibiles. 1. enim Deus pro quolibet instanti æternitatis cognoscit, quidquid cognoscit. Ergo non cognoscit prius prioritate temporis essentiam suam, quam res possibiles. 2. In tantum Deus cognosceret essentiam suam prius prioritate naturæ, quam res possibiles, in quantum in Deo cognitio essentiae divinæ esset realiter causa cognitionis possibilem, five, quod idem est, in quantum Deus per cognitionem essentiae suæ realiter determinaretur ad cognitionem possibilem. At in Deo una cognitio nec est, nec esse potest realis causa alterius: hoc enim non esset sine multiplici imperfectione. Unde Deus & essentiam suam, & possibilia, & quodlibet aliud intelligibile cognoscit ab æterno & pro æterno una & eadem realiter cognitione. 3. Prioritas rationis ex parte subjecti nihil aliud est, quam prioritas necessitatis, seu prioritas rationis fundata in maiori necessitate: ita ut illud dicatur prius ratione ex parte subjecti, quod ab intellectu concipitur prius inesse subjecto, quia ei magis necessarium inest. At cognitio omnipotentiae in Deo non habet prioritatem necessitatis respectu cognitionis possibilem: cum enim omnipotentia & possibilia sint inter se perfectè correlativa, non magis necessarium est Deum esse omnipotentem, quam creaturas esse possibiles, & ita

& ita in Deo cognitio omnipotentiae non magis necessaria est, quam cognitio possibilium. Intellectus igitur non habet fundamentum in maiori necessitate concipiendi cognitionem omnipotentiae prius inesse Deo, quam cognitionem possibilium. Ergo, &c.

Porro nulla ex his prioritatibus requiritur, ut essentia divina cognita, sit Deo medium cognoscendi possibilium. Ad hoc enim sufficit, ut essentia divina cognoscatur à Deo prius ratione ex parte objecti, quam possibilium; hoc est, ut essentia divina & possibilium ita à Deo cognoscantur per aliquam cognitionem, ut unum, nempe essentia divina, sit immediatius conjunctum intellectui divino, quam alia, nempe possibilium, ita ut essentia divina per se immediatè & directè, possibilium verò mediatè tantum, indirectè, & per essentiam divinam attingantur ab intellectu divino. Nam tunc essentia divina, ut cognita, est verè intellectui divino ratio & medium cognoscendi possibilium per eandem illam indivisibiliter cognitionem, qua ipsa cognoscitur, & intellectus noster cum fundamento in re concipit essentiam divinam, ut cognitam, per modum causae realis, realiter determinantis intellectum divinum ad cognoscenda possibilium. Quod est, essentiam divinam cognosci prius ratione ex parte objecti ab intellectu divino, quam possibilium.

ARTICULUS III.

Utrum Deus in aliquo medio ratione prius cognoscatur creaturas existentes.

RESPONSIO.

Deus in se ipso, ut objecto ratione prius cognito, cognoscit omnes creaturas existentes.

Prob. 1. ex S. Dionysio lib. de divinis Nom. c. 7. Neque autem, inquit, ea quae sunt, ex his quae sunt, discens, noscitur divina mens, sed ex se & in se per causam rerum omnium, cognitionem, scientiam, essentiam, quae anticipatam & ante comprehensam habet, non quod per speciem singula consideret, sed quod uno causa complexu omnia sciat ... se ipsam ergo cognoscens divina sapientia, novit omnia. Quibus verbis Deum in se ipso, ut medio cognito, omnia existentia cognoscere, tam clarè docet, ut nullum tergiversationi locum relinquat. Unde quod aliqui conantur, illum interpretari de cognitione non aliunde accepta, seu de cognitione planè independente à rebus cognitis, non satis verendum est.

Prob. 2. ex S. Augustino, de cuius mente dubitari non potest. Nam 1. pluribus locis disertè asserit Angelos videre creaturas existentes in Verbo, ut objecto cognito. Sic v.g. lib. 4. de Gen. ad litt. c. 24. de Angelis loquens, ait: Proculdubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quae temporaliter facta sunt, aeternae rationes, tanquam in eo per quod facta sunt omnia: ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt, tanquam infra despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cuius incommutabili veritate rationes, secundum quas facta est, principaliter vident. Ecce S. Doctor duplicem in Angelis rerum à Deo creatarum cognitionem disertè agnoscit: unam minùs perfectam, qua cognoscunt res creatas in se ipsis per proprias species creatas; & alteram perfectiorem, qua cognoscunt illas in rationibus illarum existentibus in Verbo, principaliter cognitis. Quod etiam expresse docet lib. 11. de Civ. c. 29. ubi de rebus à Deo conditis sermonem habens dicit: *Omnia haec aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab Angelis, ubi habent causas rationesque suas, id est, secundum quas facta sunt, incommutabiliter permanentes, aliter in se ipsis, illic clariore, hic obscuriore cognitione.* At si Angeli vident creaturas existentes in illarum exemplaribus, in mente divina existentibus, & ratione prius per modum principalis objecti cognitis; quanto magis Deus ipse, cum haec exem-

plaria perfectè & comprehensivè cognoscat, quod non possunt Angeli?

2. S. Augustinus directè asserit Deum res à se conditas videre in illarum rationibus, quas habet incommutabiliter apud se, tanquam in speculo prius viso, ut patet v.g. ex lib. 6. de Trin. cap. 10. ubi postquam dixit Verbum divinum esse artem quandam omnipotentis atque sapientis Dei, plenam incommutabilibus & viventibus rationibus rerum omnium creabilium, addit post pauca, ibi, nempe in arte illa Deum omnia posse, quae fecit per ipsam. Quod autem S. Doctor de noticia rerum existentium non solum quia possibilium, sed etiam quia existentium loquatur, satis clarum est, ut probatione non indigeat, & tamen adhuc ostenditur. Lib. enim 11. de Civ. postquam c. 10. dixit Deum, antequam creaturas conderet, eas cognovisse in invisibilibus atque incommutabilibus illarum rationibus, quae sunt in immensis atque infinitis thesauris rerum intelligibilium, quos habet divina sapientia; quod saltem intelligi debet de cognitione creaturarum, ut possibilium; c. 21. loquens de creaturis à se conditis, quae talibus, sic ait: *Ibi ergo vidit bonum esse, quod fecit, ubi bonum esse vidit, ut faceret.* Igitur ex S. Doctore Deus ibi vidit creaturarum à se conditarum bonitatem in esse actuali & exercito, ubi vidit eam in esse possibili & intelligibili. Sed sic vidit eam in illarum rationibus, quas habuit incommutabiliter ab aeterno in immensis atque infinitis thesauris rerum intelligibilium, in divina sapientia reconditis. Ergo, &c.

Denique quod Deus omnia praeterita, praesentia, & futura, omnino incommutabiliter videat, & stabili ac sempiterna praesentia comprehendat, sic ut ejus scientia trium temporum, praesentis videlicet, & praeteriti, vel futuri varietate minimè mutetur, & in ejus incorporeo contuitu simul adsint cuncta, quae novit, probat S. Doctor ex eo, quod Deus omnia, non solum possibilium, sed etiam aliquando existentia videat in rerum ipsarum rationibus seu ideis quas habet in mente sua. Patet ex lib. 6. de Trin. c. 10. ubi postquam dixit, quod in Verbo divino sit ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium, ubi novit omnia, quae fecit per artem illam, statim subdit: *Et ideo cum decedant & succedant tempora, non decedit aliquid, vel succedit scientie Dei.* Et rectè quidem sic loquitur. Nam ut ipse ait lib. 83. quaest. q. 46. idearum illarum, quas habet intellectus divinus apud se, in divina scilicet essentia, sibi per summam identitatem conjuncta, sunt forma quaedam, vel rationes rerum, stabiles atque incommutabiles, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae, ac semper eodem modo sese habentes: cum, ut interpretatur S. Thomas, in re nihil aliud sint, quam ipsa divina essentia, ut participabilis & imitabilis pluribus & pluribus infinitum modis.

Prob. 3. ex S. Thoma hic q. 14. a. 3. in O. ubi loquens de creaturis non solum possibilibus, sed etiam aliquando existentibus, duplicem tantum eas cognoscendi modum agnoscit: unum scilicet, quo res in se ipsa cognoscitur per propriam speciem ipsi adequatam, hoc est, ipsam non excedentem; alterum verò, quo res cognoscitur in alio prius cognito, quocumque tandem modo illud aliud, ut cognitum, sit ratio ipsam cognoscendi. Dupliciter, inquit, aliquid cognoscitur, uno modo in se ipso, alio modo in altero. In se ipso quidem cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam, adequatam ipsi cognoscibili: sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis. In alio autem videtur id, quod videtur per speciem continentis, sicut cum pars videtur in toto per speciem totius, vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi, vel quocumque alio modo contingat aliquid in alio videri.

Ex his autem duo concludit, 1. Deum videre se ipsum in se ipso, quia videt se ipsum per essentiam suam, tanquam per speciem propriam, adequatam ipsi cognoscibili, quatenus essentia divina respectu sui ipsius,

ipsius, excellenti quodam modo, & seclusis imperfectionibus omnibus, vices agit propriae speciei impressae, ipsi adaequatae, se ipsam per summam suam intelligibilitatem, & cum intellectu divino conjunctione. exhibendo perfectissimè videndam, & comprehendendam. 2. Deum omnia alia à se, sive possibilia, sive existentia, videre in se ipso; cum enim repugnet eum videre alia à se in se ipsis, hoc est, per proprias species impressas, adaequatas ipsis cognoscibilibus; talium enim specierum collectio locum habere non potest in Deo; superest, ut videat omnia alia à se in sua essentia, seu per suam essentiam, quae, cum omnes omnino perfectiones omnium entium creabilium secundum modum excellentem contineat, non potest non continere in se secundum modum excellentem, similitudinem omnium entium creabilium, sicut species totius continet virtualiter speciem partium, & species actus perfecti speciem actuum imperfectorum, vel species speculi speciem hominis, qui videtur in speculo. Unde sicut homo videtur in speculo viso, & sicut pars vel actus imperfectus cognoscitur in toto vel actu perfecto cognito; ita creaturae omnes, tam possibiles, quam aliquando existentes, non possunt à Deo non perfectè secundum esse proprium, sive possibile, sive actuale & exercitum, intelligi in essentia divina, perfectè & comprehensivè intellecta, tanquam in perfectissima & excellentissima rerum omnium imagine, & similitudine. Unde sicut modo explicato respectu sui ipsius vices agit speciei impressae, sibi adaequatae, ita & perfectè atque comprehensivè cognita, respectu omnium aliorum intelligibilium fungitur munere propriarum specierum impressarum, ipsis intelligibilibus adaequatarum, per quas ab intellectu creato in se ipsis possunt intelligi. Sic igitur, inquit S. Doctor, sciendum est, quod Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per essentiam suam. Alia autem à se videt, non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso.

Prob. 3. Ratione. Si intellectus divinus haberet species impressas omnium creaturarum existentium, illarum repraesentativas secundum esse actuale & exercitum, certè cognoscere posset, & cognosceret per ejusmodi species creaturas omnes existentes, & quidem ut existentes pro ea temporis differentia, pro qua existunt. Tunc enim ad hanc cognitionem nihil ei deeret necessarium. Atqui intellectus divinus in essentia divina, ipsi per summam identitatem conjunctissima, habet æquivalenter & eminenter species impressas omnium creaturarum existentium, illarum secundum esse actuale & exercitum repraesentativas. Ergo intellectus divinus creaturas omnes existentes, & quidem ut existentes pro ea temporis differentia, pro qua existunt, cognoscere potest, & cognoscit per divinam essentiam, & quidem ut ratione prius cognitam: non enim videtur essentia divina aliter causalitatem & munus specierum impressarum absque imperfectione supplere posse respectu intellectus divini.

Prob. min. Nam essentiam divinam speciebus impressis rerum existentium, & illarum secundum esse actuale & exercitum repraesentativis æquivalere, eaque eminenter continere, est perfectio magna, nec exclusiva alterius melioris, vel aequalis, proindeque est perfectio simpliciter simplex. Atqui essentia divina complectitur omnes perfectiones simpliciter simplices, cum sit essentia Entis, quo nihil melius esse aut cogitari potest. Ergo, &c.

Dices. Essentia divina cum creaturis existentibus, qua existentibus, non est necessariò connexa: posset enim esse sine creaturis existentibus. Ergo non potest esse intellectui divino ratio cognoscendi creaturas existentes, qua existentes: nam non potest esse intellectui divino per modum objecti cogniti ratio cognoscendi, nisi ea, quibuscum sic connexa est, ut sine illis non possit esse. R. n. conseq. Sicut enim ex adversariis intellectus divinus ex se indifferens est extra omnem hypothese ad intelligendas vel non intelligendas creaturas ut existentes, & tamen ex hypothese quod existant, non potest non intelligere illas ut existentes, quia ex

se summè determinatus est ad intelligendum omne intelligibile omni modo, quo intelligibile est; ita essentia divina, licet extra omnem hypothese ex se indifferens ad repraesentandas intellectui divino, vel non repraesentandas creaturas ut existentes, non potest, ex hypothese quod existant, illas ut existentes non repraesentare intellectui divino, quia ex se summè determinata est ad repraesentandum intellectui, eam perfectè cognoscenti, omne intelligibile omni modo, quo repraesentari potest. Unde licet essentia divina non sit necessariò connexa cum creaturis existentibus, & ita posset esse, etiam si nullae creaturae existerent, proindeque nullas creaturas ut existentes repraesentaret; non potest tamen illas non repraesentare ut existentes, ex hypothese quod existant: sicut intellectus divinus non potest non intelligere creaturas ut existentes, supposito quod existant, licet non sit necessariò connexa cum creaturis existentibus, & ita adhuc esset, etiam si nullae existerent, & sic nullas ut existentes intelligeret.

Confirm. Quod essentia divina, ut cognita, possit repraesentare, & ex se sit summè completa & determinata ad repraesentandum omne intelligibile, omni modo quo repraesentari potest, hoc est, ad repraesentandum ut possibile, quod est possibile, ut existens, quod existit, &c. tam est perfectio simpliciter simplex, quam quod intellectus divinus possit intelligere, & ex se sit summè completus & determinatus ad intelligendum omne intelligibile omni modo quo intelligi potest, hoc est, ad intelligendum ut possibile, quod est possibile, ut existens, quod existit, &c. Atqui hoc, nempe quod intellectus possit, &c. est perfectio simpliciter simplex, ut docent ipsimet adversarii. Ergo & illud, nempe quod essentia divina, ut cognita, possit repraesentare, &c. est etiam perfectio simpliciter simplex. Ergo tam essentia, ut cognita, habet ut possit repraesentare, &c. quam intellectus divinus, secundum adversarios, habet ut possit intelligere, &c. Et consequenter essentia divina tanta necessitate repraesentat creaturas ut existentes, ex hypothese quod existant, quanta intellectus divinus ex eadem hypothese intelligit illas existere. Illam autem perfectionem habet essentia divina, saltem quā in se secundum modum quandam excellentem continet omnes omnino species impressas possibiles, rerum quocumque modo repraesentativas: sic enim continet omnia omnino entia possibilia. Unde fit, ut essentia divina sit perfectissima quaedam & excellentissima rerum omnium similitudo, illarum, ut sunt, repraesentativa, proindeque illas repraesentans ut possibiles tantum, si sunt tantum possibiles, ut existentes pro tali temporis differentia, si pro tali differentia temporis existunt, ut praeteritas vel futuras pro eo tempore, pro quo praeteritae vel futurae sunt.

Prob. 4. Essentia divina, cognita ut potentia productiva & idea objectiva creaturarum, applicata & determinata per decretum divinum ad illarum productionem, potest esse, & est intellectui divino ratio perfectè cognoscendi illas secundum esse proprium, & quidem ut actuale & exercitum. Ergo Deus videt existentia omnia, & quidem ut existentia, in se ipso, ut medio ratione prius viso. *Prob. ant.* Nam 1. essentia divina cognita ut potentia productiva, & idea objectiva creaturarum, distinctissimè repraesentat intellectui divino omnes illarum rationes, & consequenter totum esse proprium illarum. 2. Cognita ut applicata & determinata ad illarum productionem, summè certificat intellectum divinum de realitate & actualitate illarum. Ergo essentia divina cognita ut causa productiva & idea objectiva creaturarum, applicata ac determinata ad illarum productionem, repraesentat illas intellectui divino secundum esse proprium ut actuale & exercitum.

Porro ex dictis evidenter consequitur Deum etiam praeterita & futura videre in se ipso, ut medio ratione prius viso. Nam hoc ipso quod essentia divina cognita, est ab aeterno & pro aeterno intellectui divino ratio cognoscendi creaturam aliquam secundum esse proprium

prium ut actuale & exercitum pro tali differentia temporis, & non pro alia, non potest non esse simul & indivisibiliter ab aeterno & pro aeterno intellectui divina ratio creaturam illam cognoscendi ut futuram pro tempore, pro quo nondum est, ut praesentem pro tempore, pro quo est, ut praeteritam pro tempore, pro quo non est amplius. Haec autem dicta à nobis, ut probaremus Deum in se ut medio ratione prius vilo videre praeterita, praesentia & futura, de iis saltem quae à solo Deo in produci & conservari dependent, imò & de iis quae etiam dependent à causis secundis, sed naturaliter agentibus sive impedibiliter sive inimpedibiliter, intelligenda esse, non est difficultas. Superest ut agamus de ceteris, quae, ut sint, dependent à creatura rationali, se ipsam liberè determinante ad eorum productionem.

ARTICULUS IV.

Utrum Deus in aliquo medio ratione prius cognoscit actus liberos creaturæ rationalis aliquando exituros.

RESPONSIO I.

DEUS non cognoscit actus creaturæ rationalis, liberè futuros, in ipsa creatura rationali, considerata in actu primo, sive remoto, sive etiam proximo.

Prob. Nam causa, quantumvis cognita ut causa, non potest esse ratio cognoscendi certò, nisi eos effectus, quibuscum necessariam habet connexionem: sicut principium, quantumvis cognitum ut principium, non potest esse ratio cognoscendi certò, nisi eas conclusiones, quibuscum necessariò connexum est. Atqui creaturæ rationalis actus primus, sive remotus, hoc est, virtus agendi, sive proximus, hoc est, virtus agendi cum omnibus adjunctis & praequisitis ad agendum, non habet necessariam connexionem cum actu secundo creaturæ rationalis liberè futuro: actus enim primus creaturæ rationalis, sive remotus, sive etiam proximus, relata ad actum secundum liberè futurum, est planè indifferens ad opposita. Ergo actus primus creaturæ rationalis, sive remotus, sive etiam proximus, quantumvis cognitus, non potest esse Deo ratio cognoscendi certò actum secundum creaturæ rationalis liberè futurum. Ergo, quod idem est, Deus non potest certò cognoscere actus creaturæ rationalis liberè futuros in ipsa creatura rationali considerata secundum actum primum, sive remotum, sive etiam proximum, & consequenter nullo modo cognoscit actus creaturæ rationalis liberè futuros in ipsa creatura rationali considerata secundum actum primum, sive remotum, sive etiam proximum. Nam si aliquo modo cognosceret, cum non possit certò cognoscere, cognosceret tantum conjecturaliter. At cognitio conjecturalis, ut potè errori obnoxia, repugnat Deo. Propter eandem rationem Deus non cognoscit actus creaturæ rationalis liberè futuros in sua omnipotentia, quantumvis perfectè & comprehensivè cognita.

RESPONSIO II.

Deus non cognoscit in suis decretis actus naturales creaturæ rationalis liberè futuros: at cognoscit supernaturales.

Prob. 1. pars. Nam decreta divina, ut hic supponitur, respectu actuum naturalium creaturæ rationalis, sunt disjunctiva, quibus scilicet creaturæ rationali, quantum ad actus liberos, omnipotentia divina velut per modum habitus applicatur ad hunc vel illum actum disjunctivè. Unde decretum disjunctivum non magis importat futurationem unius actus, quam alterius, sed aequaliter utrumque actum respicit. Ergo decretum disjunctivum non potest esse Deo ratio cognoscendi hunc actum ut futurum, potius quam alterum. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Nam decreta divina, ut etiam hic supponitur, sunt praedeterminativa respectu actuum supernaturalium creaturæ rationalis, hoc est, decreta, quibus

Deus vult absolutè & efficaciter, ut creatura rationalis tales actus eliciat, & liberè eliciat in tempore: unde vi horum decretorum Deus determinatus est ad danda in tempore creaturæ rationali auxilia gratiae, quibuscum per infallibilem scientiam futuribilem, praescit creaturam rationalem tales actus elicitorum esse. Atqui ejusmodi decreta habent necessariam connexionem cum praedeterminatis actibus creaturæ rationalis ut futuris, & liberè futuris. Nam Deum velle absolutè & efficaciter, ut aliquid fiat & tali modo fiat, & tamen illud non fieri, vel non eo modo fieri, quo Deus vult, absolutè repugnat. Ergo decreta divina possunt esse Deo ratio cognoscendi actus supernaturales creaturæ rationalis liberè futuros. Ergo Deus re ipsa hos actus cognoscit in suis decretis.

RESPONSIO III.

Deus actus omnes creaturæ rationalis, tam naturales, quam supernaturales, liberè futuros cognoscit in essentia sua, ut perfectissima similitudine omnium intelligibilium, secundum esse proprium, quod habent, sive possibile tantum, sive etiam actuale & exercitum, pro quacumque temporis differentia habeant.

Prob. Nam Deus in essentia sua, ut perfectè & comprehensive cognita, perfectissimè comprehendit quamlibet creaturam rationalem existentem. Atqui ad hanc perfectissimam creaturæ rationalis existentis comprehensionem requiritur ut cognoscatur clarè secundum omnes rationes suas intrinsecas, & consequenter non solum secundum id omne quod potest sive necessariò sive liberè facere, sed etiam secundum id omne quod re ipsa sive necessariò sive liberè factura est pro quacumque differentia temporis; imò & secundum id omne quod factura esset in quacumque hypothese possibili, ut suo loco ostenditur. Ergo Deus in essentia sua, ut perfectè & comprehensive cognita, clarè cognoscit quamlibet creaturam rationalem existentem, non solum secundum id omne, quod potest sive necessariò sive liberè facere, sed etiam secundum id omne, quod re ipsa sive necessariò sive liberè factura est pro quacumque differentia temporis. Quod est, Deum in sua essentia cognoscere omnes omnino actus creaturæ rationalis etiam liberè futuros.

Prob. 1. maj. Nam Deum in essentia sua, ut perfectè & comprehensive cognita, posse perfectissimè comprehendere omnia alia à se, sive, quod idem est, essentiam divinam, ut perfectè & comprehensive cognitam, posse omnia alia à se sufficienter exhibere intellectui divino ad perfectissimam eorum comprehensionem, est perfectio magna, & melior ipsa, quam non ipsa. Ergo non est neganda essentia divina. Et verò sicut intellectus divinus est simpliciter infinitus in representando per modum potentiae vitalis, ita & essentia divina est simpliciter infinita in representando per modum objecti: non enim minus valet essentia divina ad representandum per modum objecti, quam intellectus divinus ad representandum per modum potentiae vitalis. Atqui essentia divina non est simpliciter infinita in representando per modum objecti, si perfectè & comprehensive cognita non repraesentat intellectui divino omnia alia à se, quantum oportet ad perfectissimam eorum comprehensionem: sicut intellectus divinus non esset simpliciter infinitus in representando per modum potentiae vitalis, si non omnia alia à se perfectissimè comprehenderet. Ergo essentia divina, perfectè & comprehensive cognita, repraesentat intellectui divino omnia alia à se, quantum oportet ad perfectissimam eorum comprehensionem.

Prob. 2. min. Nam 1. ut ait S. Thomas hic q. 12. art. 7. in O. illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur: perfectè autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile. Atqui creatura rationalis non cognoscitur, quantum est cognoscibilis, si non cognoscitur etiam quantum ad ea omnia, quae liberè actura est pro quacumque differentia temporis: est enim etiam quantum ad haec omnia cognoscibilis. Ergo, &c. 2. Creatura rationalis existens non comprehenditur, nisi perfectè cognoscatur virtus ejus. Atqui virtus crea-

ture

tura rationalis existentis non cognoscitur perfectè, nisi cognoscantur ea omnia ad quæ se extendit. Ergo creatura rationalis existens non comprehenditur, nisi cognoscantur ea omnia, ad quæ se extendit virtus ejus. Atqui virtus se extendit non solum ad ea omnia, quæ potest agere, sed etiam ad ea omnia, quæ liberè actura est pro quacumque temporis differentia. Ergo creatura rationalis existens non comprehenditur, nisi cognoscantur ea omnia, quæ pro quacumque temporis differentia actura est liberè. Hoc argumentum suggerit S. Thomas hic q. 14. art. 5. in O. ubi hæc habet: *Si perfectè aliquid cognoscitur, necesse est, quod virtus ejus perfectè cognoscatur. Virtus autem alicujus rei perfectè cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit.*

Dices. Essentia divina non est necessariò connexa cum actibus creaturæ rationalis liberè futuris. Ergo non potest esse intellectui divino ratio illos cognoscendi. R. n. conseq. Nam est æquivalenter & eminenter species impressa cujuscumque actus cujuslibet creaturæ rationalis liberè futuri: cum enim non solum virtualiter, sed etiam æquivalenter & eminenter contineat totam collectionem specierum impressarum omnium actuum à creaturis rationalibus aliquando eliciendorum, potest non solum species illas producere, sed etiam per se ipsam modo quodam excellenti, & seclusis imperfectionibus, præstare, quod illæ præstarent, si intellectui divino adessent: præstat autem, in se ipsa, velut in speculo quodam lymphidissimo, exhibendo videndos intellectui divino omnes actus illos. Et hoc dicit S. Thomas hic q. 14. art. 5. in O. cum ait, *Deum alia à se videre, non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso*, hoc est, in quantum essentia divina æquivalenter & eminenter continet in se species omnium aliorum à se, & ita est secundum quendam modum excellentem similitudo & imago omnium aliorum à se, quæcumque illa sint, perfectissimè representans illa secundum esse quod habere possunt, vel habent, vel habuerunt, vel habitura sunt.

RESPONSIO IV.

Deus omnes actus cujuscumque creaturæ rationalis liberè futuros, ab æterno & pro æterno videt in essentia sua ratione prius visa, ut existentes pro ea temporis differentia, pro qua re ipsa existunt.

Prob. Nam quidquid essentia divina intellectui divino, eam ab æterno & pro æterno perfectè cognoscenti, repræsentat, ab æterno & pro æterno repræsentat: si enim intellectui divino, eam ab æterno & pro æterno perfectè cognoscenti, inciperet, aut desineret aliquid repræsentare, non esset in repræsentando prorsus invariabilis & incommutabilis, contra illud Jacobi c. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ergo vel nunquam intellectui divino actus liberè futuros creaturæ rationalis repræsentat ut existentes pro eo tempore, pro quo existunt; quod esse falsum satis superque constat ex supra dictis; vel illos ut existentes pro eo tempore, pro quo existunt, repræsentat ab æterno & pro æterno.

Præterea, essentia divina est ab æterno & pro æterno perfectissima similitudo omnium omnino intelligibilium, illorum perfectissimè repræsentativa secundum totam intelligibilitatem, quam habent: nam quidquid est essentia divina, ab æterno & pro æterno est propter summam suam incommutabilitatem: unde vel non est talis similitudo, quod tamen falsum esse patet ex dictis; vel est ab æterno & pro æterno talis similitudo. Ergo essentia divina est ab æterno & pro æterno perfectissima similitudo omnium actuum liberè futurorum cujuscumque creaturæ rationalis, illos ab æterno & pro æterno perfectissimè repræsentans secundum totam intelligibilitatem, quam habent. Atqui etiam antequam sint, & postquam desierunt esse, sunt intelligibiles ut existentes pro eo tempore, pro quo re ipsa existunt: semper enim verum est illos existere pro eo tempore, pro quo re ipsa existunt, sive tempus illud nondum advenerit, sive jam præte-

rierit. Ergo essentia divina est ab æterno & pro æterno perfectissima similitudo omnium actuum liberè futurorum cujuscumque creaturæ rationalis, illos ab æterno & pro æterno perfectissimè repræsentans ut existentes pro eo tempore, pro quo re ipsa existunt; hoc est, ab æterno & pro æterno perfectissimè certificans intellectum divinum de illorum existentia ut actuali & exercita pro tali differentia temporis, & hoc ipso quod intellectum divinum perfectissimè certificat de illorum existentia ut actuali & exercita pro tali differentia temporis, eum quoque simul & indivisibiliter certificans perfectissimè de illorum absoluta futuritione pro anteriori tempore, & præteritione pro subsequenti.

Ex his clarè apparet omnia omnino præsentia, præterita, & futura, sive necessariò, sive liberè, esse Deo ab æterno & pro æterno perfectissimè præsentia in essentia sua, velut in speculo ea perfectissimè repræsentante secundum esse actuale & exercitum, quod unumquodque habet pro sua temporis differentia, & ita Deum uno & eodem ac simplicissimo actu, ab æterno & pro æterno perfectè & comprehensivedè videre essentiam suam, & in essentia sua, sic perfectè & comprehensivedè visa, simul & indivisibiliter omnia omnino præsentia, præterita, & futura, sive necessariò, sive liberè, perfectissimè intueri secundum esse actuale & exercitum, quod unumquodque habet pro sua temporis differentia. Et hoc est, quod dicit S. Thomas hic q. 14. art. 13. in O. ubi loquens de strictè contingentibus, seu de liberè futuris, sic ait: *Deus cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso. Et licet contingentia fiant in actu successivè, non tamen Deus successivè cognoscit contingentia prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul: quia sua cognitiō mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse. Æternitas autem tota simul existens, ambit totum tempus. Unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se presentes; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentia. Unde manifestum est, quod contingentia infallibiliter à Deo cognoscuntur, in quantum subdantur divino conspectui secundum suam præsentialem, & tamen sunt futura contingentia, suis causis comparata.*

Igitur ex S. Doctore Deus videt omnia liberè futura, non solum prout sunt in causis suis, hoc est, prout possunt esse vel non esse, sed etiam prout sunt actu in se ipsis pro tali differentia temporis; videt, inquam, non successivè, sicut nos videmus, prout scilicet successivè existunt, sed simul. Nam scientia Dei imitatur ejus æternitatem. Unde sicut æternitas tota simul existens, ambit omnes temporum differentias, non quod omnes temporum differentia simul realiter coexistant æternitati; tam enim implicat eas simul coexistere æternitati, quam implicat eas simul existere; cum non possint simul alicui coexistere, quin simul existant; sed quia æternitas absque ulla ex parte sui successione coexistit omnibus temporum differentiis pro eo tunc, pro quo sunt, & sic tota successio se tenet ex parte ipsarum temporum differentiarum, quarum una post aliam existit: ita scientia divina omnia liberè futura suo veluti sinu complectitur, non quod omnia simul coexistant scientia divinæ; alioquin omnia simul existerent, quod repugnat; aut præcisè quia illorum rationes seu idæ objectivæ sunt ab æterno & pro æterno in mente divina: sed quia scientia divina ab æterno & pro æterno absque ulla ex parte sui successione omnia intuetur ut existentia pro ea temporis differentia, pro qua re ipsa existunt. Unde licet non omnia simul existant, sed unum post aliud existat, omnia tamen simul præsentia sunt scientiæ divinæ secundum esse proprium; & quidem ut actuale & exercitum, sed solum pro ea differentia temporis, pro qua re ipsa sunt actu & exercitè. Ex his autem colligit S. Doctor præscientiam divinam circa libera omnia absolute futura esse absolute infallibilem: cum enim illa omnia attingat ut actu existentia pro eo tempore, pro quo sunt, & ita ratio-

ne prius actu existant pro eo tempore, quam à Deo præciantur, tam impossibile est præciantur divinam falli, quam implicat illa non existere pro tali tempore, supposito quod pro tali tempore existant. Hoc autem absolute repugnat, quia absolute repugnat idem simul esse & non esse.

Denique ex dictis clare intelligitur, quomodo Deus invariabiliter & incommutabiliter omnia præterita, præsentia, & futura, sive necessariò, sive liberè, cognoscat quantum cognoscibilia sunt: cum enim omnia illa simul ab æterno & pro æterno in essentia sua, velut in speculo, & perfectissima atque in representando prorsus invariabili imagine clarissime intueatur secundum esse proprium, & quidem ut actualè & exercitum pro ea temporis differentia, pro qua re ipsa sunt actu & exercitè, & consequenter omnia illa simul ab æterno & pro æterno in essentia sua perfectissimè uno & eodem ac simplici intuitu cognoscat ut existentia pro eo tempore, pro quo re ipsa existunt, ut futura pro anteriore, ut præterita pro posteriore; impossibile est Deum ab una cognitione ad aliam transire, sicut nos transimus, ut modò rem unam, modò aliam contempletur; cum omnia simul intueatur ab æterno & pro æterno: aut ut postquam rem eandem prospexit ut futuram, ut præsentem aspiciat; & postquam apexit ut præsentem, ut præteritam respiciat: cum illam uno actu ab æterno & pro æterno ut futuram prospiciat, aspiciat ut præsentem, ut præteritam respiciat. Item impossibile est scientiam divinam incrementum sumere, cum res incipiunt esse; aut decrementum pati, cum esse desinunt: siquidem cum incipiunt esse, non incipit aliquid de novo, aut idem novo modo, & cum majori claritate & certitudine cognoscere; & cum desinunt esse, non desinit aliquid, aut idem eodem modo, & cum eadem claritate & certitudine cognoscere: sed semper & pro semper eadem, eodem modo, & cum infinita claritate & certitudine intelligit.

Ita docet S. Augustinus pluribus locis, quæ superius allegavimus, & imprimis lib. 15. de Trin. c. 7. ubi sic ait: *Quis hominum potest istam sapientiam, qua novit Deus omnia, ita ut nec ea que dicuntur præterita, ibi prætereant, nec ea que dicuntur futura, quasi desint, expectentur ut veniant, sed præterita & futura cum præsentibus sit cuncta presentia, nec singula cogitentur, & ab aliis ad alia cogitando transeant, sed in uno conspectu simul præsto sint universa: quis, inquam, hominum comprehendat istam sapientiam?* Lib. 6. c. 10. dixerat: *Cum decedant & succedant tempora, non decedit aliquid, vel succedit scientia Dei.*

ARTICULUS V.

Utrum Deus omnia alia à se cognoscat etiam immediatè in se ipsis.

NOta. Potest aliquid dici cognosci immediatè in se ipso in duplici sensu. 1. quidem si dicatur cognosci per speciem propriam, intellectui cognoscenti impressam, & ipsi cognoscibili adequatam. 2. Si dicatur cognosci independentè ab omni medio, in quo, aut quo cognoscatur, ita ut & solum terminet cognitionem directè, & tota præter ejus cognoscibilitatem objectivam ratio illud cognoscendi sit virtus intellectiva intellectus cognoscentis; ita ut ad illud cognoscendum non aliud ex parte illius requiratur, quam cognoscibilitas objectiva, seu mera capacitas terminandi cognitionem. Primum tantum res alias à Deo immediatè in se ipsis cognoscendi modum videtur agnovisse S. Thomas. Unde consequenter videtur docere, Deum res alias à se non aliter cognoscere, quam in se ipso, ut medio ratione prius cognito. Cum S. Doctore libenter quidem removemus à Deo primum modum cognoscendi res alias à se immediatè in se ipsis, quia hic modus cognoscendi multiplicem involvit imperfectionem. At denegare secundum non possumus, quia nullam imperfectionem dicit, imò tantæ perfectionis est, ut cadere

re non possit, nisi in intellectum infinitè perfectum in ratione intelligentis. Sit itaque

RESPONSIO.

Deus omnia alia à se, tam possibilia, quam aliquando existentia, cognoscit aliqua cognitione immediatè in se ipsis, hoc est, independentè ab omni medio, sive in quo, sive quo cognoscantur ab eo.

Prob. Intellectum divinum esse ex se summè completum & determinatum ad cognoscendum omne cognoscibile, hoc ipso præcisè quod est cognoscibile, sive hoc ipso præcisè quod potest esse objectum cognitionis, est perfectio simpliciter simplex. Atqui Deus non potest non habere omnes perfectiones simpliciter simplices. Ergo reverà intellectus divinus ex se summè completus & determinatus est, &c. Ergo reverà cognoscit omne cognoscibile, aliqua cognitione independentè ab omni prorsus medio cognoscendi. *Prob. maj.* Nam intellectum divinum esse ex se completum, &c. 1. est perfectio, & quidem maxima: arguit enim infinitam in intelligendo vivacitatem. Unde repugnat aliquem intellectum creatum esse sic completum ad intelligendum, quia omnis intellectus creatus essentialiter est finitus in intelligendo activitatis. 2. Est perfectio melior ipsa quam non ipsa, quia non est impossibilis cum alia perfectione sive aequali, sive etiam meliore. Et verò non opponitur modo res alias à Deo cognoscendi in ipso Deo, ut medio ratione prius cognito: non enim repugnat Deum una & eadem realiter cognitione, sed virtualiter multiplici, cognoscere omnia alia à se & mediatè ac indirectè in essentia sua, ut medio præcognito, & directè in se ipsis independentè ab omni medio: ita ut, si per impossibile desineret ea cognoscere in essentia sua, non simpliciter desineret ea cognoscere, sed adhuc ea cognosceret immediatè ac directè, & tantum desineret ea cognoscere mediatè & indirectè. Ergo, &c.

Obj. 1. Patres docent Deum omnia alia à se cognoscere in se ipso tantum. Ergo doctrina nostra repugnat Patribus. *R.* Patres duo tantum velle. 1. Quod Deus omnia alia à se cognoscat in se ipso, ut medio prius cognito. In quo ex toto eis assentimur. 2. Quod Deus nulla alia à se cognoscat per proprias species, ipsis cognoscibilibus adequatas, ad illorum cognitionem cum intellectu cognoscente concurrentes: quod etiam cum Patribus dicimus. Utrum autem Deus omnia alia à se cognoscat immediatè & directè aliqua cognitione, ab omni medio prorsus independentè, & virtualiter distincta ab ea cognitione, qua illa cognoscit mediatè & indirectè in sua essentia, sicut nos hic asserimus, non attingunt Patres. Unde hanc nostram sententiam non contra, sed præter eorum mentem defendimus, si tamen præter eorum mentem: unanimiter enim sentiunt, nihil simplicis perfectionis Deo subtrahendum esse.

Obj. 2. Implicat quidquam à quoquam intellectu intelligi, nisi per speciem aliquam repræsentetur. Ergo modus ille cognoscendi res alias à Deo independentè ab omni medio, quem attribuimus Deo, est planè chimericus. *R.* negando ant. de intellectu infinitè perfectio in ratione intelligentis, qualis est intellectus increatus. *Probabis* tamen ant. Ex intellectu & objecto, media specie, constituitur adequatum principium cuilibet intellectus. Ergo sine specie non potest esse adequatum principium intellectus, & ita sine specie non potest esse intellectio. *R.* n. an. sumptum universaliter. Nam hoc axioma, Ex intellectu & objecto, &c. quod relatè ad intellectum creatum, viribus naturalibus relictum, verum est juxta communem sententiam, juxta quam intellectus creatus, saltem non elevatus, indiget concursu objecti ad illud intelligendum, eo quod ex se essentialiter ad id incompletus est & indeterminatus sine objecti specie, falsum est relatè ad intellectum divinum propter rationem oppositam: quatenus ob infinitam virtutis suæ eminentiam ex se summè completus & determinatus est ad intelligendum omne intelligibile, hoc ipso præcisè quod aptum est ad terminandam intellectioem. Unde fit, ut respectu intellectus divini supervacanea sit species objecti.

Obj. 3.

Obj. 3. Si vera est nostra sententia, duplex erit in Deo creaturarum cognitio, quarum una erit perfectior altera. Absurdum conf. Ergo, &c. *R.* dist. sequel. maj. Duplex erit in Deo creaturarum cognitio, quarum una erit altera perfectior ex parte objecti, *C.* seq. maj. Quarum una erit perfectior altera ex parte actus, *N.* seq. maj. Itaque secundum nos duplex est in Deo creaturarum cognitio, quarum una cognoscuntur mediare & indirecte in essentia divina, ut perfecte & comprehensive cognita; & altera cognoscuntur directe in se ipsis, independenter ab omni medio. Prima habet pro objecto primario essentiam divinam, & pro secundo creaturas: secunda vero creaturas pro objecto primario, & ea, quae in creaturis cognitis cognosci possunt, pro secundo. Unde manifestum est objectum primum primae cognitionis esse aliquid melius, quam objectum primum secundae cognitionis, & sic cognitionem primam esse aliquid secunda malius ex parte objecti. In quo non est inconveniens. At neutra est altera perfectior ex parte actus, quia neuter modus tendendi in creaturas perfectior est altero. Tanta enim virtus est, Deum omnia alia a se cognoscere directe & immediate, hoc est, independenter ab omni medio, quanta illa cognoscere indirecte & mediate in essentia divina, ratione prius perfecte cognita. Nam ad utrumque requiritur virtus simpliciter infinita in ratione intelligendi, & ex utroque equaliter arguitur intellectus simpliciter infinitus in ratione intelligentis. Et vero quid in ratione intelligendi melius cogitari potest, quam posse cognoscere, & summa necessitate cognoscere simul & cum infinita claritate omnia omnino alia a Deo, hoc ipso precise, quod possunt esse objectum cognitionis? Haec igitur prerogativa pertinere non potest, nisi ad intellectum infinite perfectum in ratione intelligentis, & superat omnem in intelligendo activitatem aliquatenus limitatam.

Obj. 4. Si Deus aliqua cognitione cognoscit directe & immediate creaturas, aliqua Dei cognitio specificatur a creaturis. Absurdum conf. Ergo, &c. *R.* n. seq. maj. Nam, ut docet S. Thomas hic q. 14. art. 5. ad 3. in tantum objectum aliquod specificat cognitionem sui, in quantum est illius causa, & ad illam vel per se vel per speciem sui vicariam concurret cum intellectu, a quo cognoscitur. At creatura cognitionem illam, qua a Deo directe & immediate cognoscuntur, nullatenus causant, sed pure terminant. Ergo non specificant cognitionem illam, qua a Deo cognoscuntur directe & immediate in se ipsis. Haec autem cognitio, cum non aliam sui causam agnoscat, quam summam intellectus divini perfectionem in ratione intelligendi, totam suam speciem a summa intellectus divini in ratione intelligendi perfectione accipit, proindeque ex ea sola mensurari & aestimari potest.

Obj. 5. Bonitas creata non potest directe & immediate terminare actum voluntatis divinae. Ergo nec veritas creata actum intellectus divini. *R.* n. ant. Nam voluntas divina duplici virtualiter actu amat v. gr. creaturas possibles, uno scilicet mediate & indirecte propter bonitatem praematam essentiae suae, cuius sunt imitationes quaedam & participationes possibles; altero vero directe & immediate propter eam non repugnantem; ita tamen ut illud, propter nullam creaturis possibilibus in actum illum divinum, quo directe & immediate amantur, causalitatem attribuat, sed meram aptitudinem ad terminandum actum amoris, qua praesupposita, non potest voluntas divina non habere actum simplicis complacentiae, quo sibi in creaturis possibilibus directe & immediate placeat. Unde directa illa & immediata Dei complacentia circa creaturas possibles, non ab ipsis creaturis possibilibus, sed a voluntatis divinae perfectione specificatur, & ex ea sola mensurari & aestimari potest & debet.

Q U A E S T I O IV.

De Scientia futuribilium.

Nota 1. Futuribile dicitur illud, quod futurum esset, si futura esset aliqua conditio, & consequenter quod esset, si poneretur aliqua conditio. Futuribile duplex est, unum scilicet necessarium, & alterum non necessarium, sed contingens. Necessarium est illud, quod necessario futurum esset, si futura esset aliqua conditio. Tale est lumen duplo majus ex hypothesi Solis duplo majoris. Nam si Deus aliquando producturus esset Solem duplo majorem, necessario futurum esset lumen duplo majus. Quia si Deus aliquando Solem duplo majorem produceret, Sol ille lumen duplo majus necessario profunderet. Quod verum esse, & ad objectum scientiae simplicis intelligentiae pertinere, extra controversiam est. Futuribile contingens seu liberum est illud, quod liberè futurum esset, si futura esset aliqua conditio. Talis fuit poenitentia Tyriorum ex hypothesi praedicationis Christi, & miraculorum ejus. Nam si Christus praedicaturus fuisset, & miracula patrarurus apud Tyrios, Tyrii poenitentiam acturi fuissent, quia si Christus apud Tyrios praedicasset, & miracula patraisset, Tyrii poenitentiam egissent, ut Christus ipse expressè testatus est. De hoc futuribili hic agitur, & quaeritur utrum a Deo certo praesciatur. Sed

Nota 2. Futuribile liberum duplex est, unum scilicet futuribile tantum, & alterum futuribile & futurum. Futuribile tantum est illud, quod quidem futurum esset, si futura esset aliqua conditio; non est tamen futurum, quia illa conditio non est futura: vel, quod idem est, quod aliquando esset, si esset aliqua conditio; nunquam tamen erit, quia nunquam erit illa conditio. Talis fuit poenitentia Tyriorum pro tempore antecedente adventum Christi. Nam poenitentia Tyriorum futura fuisset, si apud illos fuisset futura praedictio Christi, quae tamen futura non fuit, unde nec futura fuit Tyriorum poenitentia: quia, ut Christus ipse attestatus est, si Christus praedicasset apud Tyrios, Tyrii conversi fuissent, qui tamen conversi non sunt, quia Christus apud illos non praedicavit. Futuribile simul & futurum est illud, de quo verum est dicere: Futurum esset, si futura esset talis conditio; Futurum est, quia futura est talis conditio: sive, quod eodem redit, de quo verè dicitur: Esset, si esset talis conditio, & re ipsa erit, quia erit talis conditio. Talis fuit negatio Christi facta a Petro: nam pro tempore antecedente passionem Christi verè dici potuit: Futurum esset, ut Petrus negaret Christum, si futurum esset, ut Petrus tali modo tentaretur; re ipsa futurum est, ut Petrus neget Christum, quia re ipsa futurum est, ut tali modo tentetur: vel, quod idem est, pro tempore antecedente passionem Christi verè dici potuit: Petrus negaret Christum, si tali modo tentaretur; re ipsa Petrus negavit Christum, quia re ipsa tali modo tentabitur. Itaque futuribile tantum excludit absolutam futuritionem, unde vocari potest futuribile exclusivum. Futuribile verò simul & futurum, solum praescindit, quod futuribile, a futuritione absoluta: unde appellari potest futuribile praesivum. De utroque autem illo futuribili hic agitur, & utrumque ex aequo complectitur scientia futuribilium, pro qua hic pugnamus.

Nota 3. De futuribili exclusivo duo verè possunt enunciari, nempe quod possibile sit sub tali conditione, & quod futurum esset, si futura esset talis conditio; vel si vis, quod posset esse sub tali conditione, & quod re ipsa esset, si esset talis conditio. Prima veritas est necessaria, secunda verò contingens: nam futuribile sic futurum esset, si futura esset talis conditio, ut posset non esse futurum etiam in sensu composito talis conditionis ut futura. Prima est prior, quam secunda, in subsistendi consequentia. Nam valet: Esset, si poneretur talis conditio: ergo posset esse, si poneretur talis conditio. At non valet: Posset esse sub tali conditione: ergo re ipsa esset sub tali conditione. Igitur diversae sunt haec duae veritates, & pertinent ad diversas scientias.